PA 6798
.B4
Copy 1

PA 6798
.B4
Copy 1

QUAESTIONES CRITICAE VELLEIANAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

ORDINE PHILOSOPHORUM LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ARTHURIUS BERNDT

SAXO DIPPOLDISWALDENSIS.

7906

FRIBERGAE.

TYPIS GERLACHII. MDCCCLXXIII.

PA6798
.B4

M. Vellei Paterculi de Historia Romana libros duos a quo pluribus eisque eximiis antiquitatis scriptoribus velut a Lucano, Tacito, Suetonio, Cassio Dione, Sulpicioque Severo, quibus accedunt Pseudo-Hegesippus anthologiaeque latinae poeta incertus, studiose tractatos esse viri docti demonstraverunt,[1]) eo magis mirandum est, quod scriptor ipse a Prisciano[2]) tantum et Lucani scholiastis[3]) commemoratur[4]) et opus ejus uno tantum codice asservatum fuit.

Quem cum anno MDXV Beatus Rhenanus, vir in illis renascentium per Germaniam litterarum initiis non minus eruditione quam ingenio florens, in celeberrimo illo monasterio Murbacensi, quod in superiore Alsatia situm et Sto. Benedicto sacrum erat, invenisset, quamquam semilacerum — deerat enim libri prioris non solum initium verum etiam haud exigua pars media — et prodigiose corruptum esse vidit,[5]) attamen scriptoris excel-

---

1) Qua in re omnium longe optime versatus est Ruhnkenius in editione Vellei, quae prodiit Lugduni Batavorum a. MDCCLXXIX; praeter quem nonnulla collegerunt Jac. Bernaysius: Die Chronik des Sulpicius Severus, Berolini 1861 p. 30. Frid. Haasius in Ephemm. litt. Hall. a. 1841 Vol. III. p. 374—75; Rudolfus Koepkius appendicis libri qui inscribitur: Deutsche Forschungen: Die Anfänge des Königthums bei den Gothen, Berolini 1859 p. 225—26 Reichaviusque dissertationis Regiomontanae de fontium delectu conscriptae, quem in describendis Tiberii vita moribusque Vellejus, Tacitus, Suetonius, Dio habuerint 1865 p. 9. De scriptoris autem persona et opere praeclare egit H. Sauppius Musei Helvetici a. 1837 T. I. pag. 133—80; quem plerumque Kritzius sequitur editionis Vellejanae majoris Lipsiae 1840 Proll. pag. 1—75.

2) Apud Herzium p. 248, 4.

3) Apud Usenerum: Commentorum Bernensium p. 281, 4 et apud Weberum Vol. III. p. 695.

4) Nam quod Haasius in Ephemm. litt. Hall. a. 1841 Vol. III. p. 347 de Frontonis loco misere depravato cogitat qui apud Naberum sic legitur: „expeditius et de.... quod Paterculus res.... inornatius scribsisse“ ut recte monet Jordanus Hermae Vol. VI. fasc. I. p. 80 propter Paterculi nomen mera Maji conjectura fictum prorsus nil valet.

5) cf. Rhenani Dedic. ad Frid. Sap. Saxon. ducem missae p. 1. 3. apud Ruhnk. T. II.

lentia et dignitate permotus, Vellejanum opus ab amico aliquo properanter et infeliciter e codice descriptum prelo subjiciendum esse statuit et postquam quinque annos frustra expectavit, dum melioris sibi codicis copia fieret, quem Georgium Merulam Mediolanensem invenisse ferebant, Basileae anno MDXX typis exprimendum curavit.

Antequam autem editio princeps emitteretur, Albertus Burerius, Rhenani amicus denuo eam cum codice Murbacensi comparavit collationemque ejus summa cum diligentia institutam Rhenanus editionis textui inde a pagina septuagesima quinque foliis adjecit. Qua opera Burerius duabus potissimum de causis omnes, quibus Vellei studium cordi est, quam maxime sibi devinxit, quarum altera ad editionis principis indolem ac naturam spectat, altera in praesidiorum criticorum, quorum usus in Vellejo paene nullus est, inopia cernitur. Illius enim contextus non solum typothetarum Rhenanique ipsius in legendo erroribus saepius corruptus est, sed etiam multas conjecturas mutationesque ab hoc tacite receptas exhibet, quas Rhenanus cum temporis sui morem ac consuetudinem secutus id ageret, ut scriptor ab omnibus quam facillime legi et intellegi posset, pro Vellejanis vendere non dubitaret. Altera autem, quantum valeat, si fortunae, Vellejano operi infestissimae, iniquitatem respexeris, nemo non videt. Quippe quae non satis habuerit aliorum codicum de quibus rumor erat, velut ejus, quem Labbeus in Bibliothecae manuscriptorum novae p. 167 affert et ejus de quo invento Merula sese jactaverat, comparandorum spem nobis abscidere,[1]) nisi hunc quoque vix dum inventum virorum doctorum oculis rursus subtraheret et ita quidem, ut de deplorandae hujus jacturae auctore et tempore ne conjecturam quidem facere possis, quae aliqua probabilitatis specie commendetur.[2])

---

1) De tertio autem codice, quem Petrum Pithoeum in manibus habuisse haud scio an inde colligere potueris, quod Montfauconius in bibliothecae bibliothecarum T. II. p. 1014. Vellejum Paterculum cum libro manuscripto collatum a Petro Pithoeo inter bibliothecae Colbertinae libros fuisse commemoravit, ideo nil compertum habemus quod exemplar illud inter turbas civiles Francogallicas saeculo duodevigesimo exeunte ortas disperiit. De quo vide Orellium disputantem editionis suae Praef. pagg. undecima et duodecima.

2) Extant quidem monasterii Murbacensis codicum duo catalogi, quorum priorem quinquaginta annis ante quam Rhenanus in hunc incideret, anno MCCCCLX Bernhardi de Andolo abbatis jussu a monacho aliquo, cui Sigismundo nomen erat, compositum edidit Matter libri qui inscribitur „Lettres et pièces rares ou inédites publiées et accompagnées d'introductions et de notes“ Parisiis anno hujus saeculi quadragesimo sexto pag. 40—76, alterum Montfauconius l. l. T. II. p. 1175—78; sed in neutro hujus codicis mentio fit.

Quare usque ad hujus saeculi initium editio princeps cum Burerii collatione conjuncta unicus Vellejani operis fons habebatur, cum Orellius secunda fortuna alterum codicis Murbacensis apographum nactus, exaratum a Bonifacio Amerbachio Rhenani amico, ut Kritzii verbis utar, „hujus et editionis principis ope adhibitisque praestantissimis virorum doctorum emendationibus novam textus recensionem paravit“ anno hujus saeculi tricesimo quinto: qua id lucrati sumus, ut multi viri docti velut Halmius, Bergkius, Haasius, Kritzius, quibus postea Hauptius, Mommsenius, Bernaysius, Herzius alii accessere, ad Vellei studium se contulerint neque solum haud paucos eosque corruptissimos ejus locos egregiis emendationibus sanaverint, sed etiam, id quod gravissimum est, totius ut ita dicam, κρίσεως Vellejanae certiora ac firmiora fundamenta posuerint.

Qua quidem in re tria potissimum erant, in quae quoad ejus fieri posset, viri docti accuratius inquirere operae pretium habuerunt. Primum enim id agebant, ut quomodo hoc apographum Amerbachianum et editio princeps Bureriique collatio et inter se et cum codice Murbacensi cohaererent, ad liquidum perducerent: quo in negotio, ut de his taceam, quae protulerunt Froehlichius: Ann. Phil. et Paed. Lips. Suppl. 14 p. 512 seqq. Laurentius: ibidem p. 5 seqq. et Praef. Locorum Vellejanorum quae Altonae prodierunt anno hujus saeculi tricesimo sexto p. 7—13, Kritziusque Proll. pag. 82—84, optime versatus est Fechterus, qui totam hanc quaestionem ita solvit, ut hodieque nemo de ea dubitare possit: Die Amerbach'sche Abschrift des Vellejus Paterculus und ihr Verhältniss zum Murbacher Codex und zur editio princeps, Basel 1844.

Fechteri igitur de Vellejo merita haec sunt: Primum accuratiorem quam Orellius exemplaris Amerbachiani collationem instituit.

Deinde id quod jam Orellius ex parte demonstraverat Praef. p. 8—9 probante Halmio in Annall. critt. Beroll. Vol. I. p. 322, exemplar Amerbachianum illud „properanter et infeliciter“ descriptum esse non potuisse fusius exposuit firmissimisque argumentis evicit.

Tum cum omnium qui post eum Vellei emendandi munus susceperunt, assensu velut Hauptii in Relatt. soc. scient. Lips. a. 1849 p. 190, Laurentii Serapei a. 1847 p. 188,[1]) Martini programmatis gymnasii Primislaviensis 1862 p. 1—3, Kochii in Quaestionum Vellejanarum quae Lipsiae prodie-

1) Alium autem librum qui inscribitur: Gratulationsprogramm der Hamburger Stadtbibliothek vom Jahre 1856, quo idem de Vellejo agit, me inspicere non potuisse valde doleo.

runt 1866 p. 1. non solum apographum Amerbachianum, verum etiam editionem principem non ex codice Murbacensi ipso, sed ex exemplari illo „properanter et infeliciter“ descripto fluxisse planum manifestumque reddidit.

Denique Rhenani amicum illum, qui prius exemplar exaraverit et Amerbachium in describendis apographis suis rem ita instituisse ostendit, ut dum quam accuratissime codicis scripturam reddere studerent, tam serviliter ei se addicerent, ut litteras magis quam verba respicerent; Rhenanum autem, qui eos doctrina longe superaret, permultis locis codicis scripturam feliciter ex apographo illo priori eruisse et hanc ob causam perpaucis locis exceptis editioni principi cum Burerii collatione conjunctae plus quam exemplari Amerbachiano tribuendum esse docuit.

Multo autem difficilius in altera quaestione res se habet, quae de codicis scripturae genere et aetate est. Quod quam periculosae plenum opus aleae sit, cum neque ex perpaucis illis quae Rhenanus Bureriusque de indole ejus tradiderunt, neque ex corruptelis ejus de his rebus certi quid colligere liceat, cum per se, tum ex hoc apparet, quod quamquam virorum doctorum de his rebus judicia mirum in modum inter se discrepant, plerique tamen eisdem fere argumentis ea quae protulerunt, firmare conati sunt.

Quam ob causam in quaestione tam ambigua cum Norb. Alstersio[1]) „haec nisi ab homine in veteribus codicibus plurimum versato decerni et ne ab hoc quidem ad certum finem perduci posse“ rato ab dijudicandis eis me contineo et hoc tantum agendum esse puto, ut Rhenani Burerii que testimonia et virorum doctorum opiniones paucis complectar.

Ex eis igitur, quae Rhenanus Bureriusque tradiderunt — nam apud Amerbachium nihil esse ex eis manifestum est, quae supra dicta sunt — nihil aliud apparet, nisi hoc, propter magnam codicis vetustatem singulas litteras vel syllabas saepius evanuisse et scripturam ejus minutam fuisse, sed ita comparatam, ut interdum majusculae litterae admixtae essent et nulla aut falsa verborum distinctio, nullus denique interpunctionum usus inveniretur.[2])

---

1) Quaestionum Vellejanarum Monasterii a. 1866 p. 3.

2) Quod Rhenanus verbis disertis testatus est, cum in epilogo haec dicit: „At meus unicus erat et mendosissimus. Ausim jurare eum, qui illum descripserat, ne verbum quidem intellexisse: adeo omnia erant confusa absque ullis punctis aut distinctionibus.“ Quocum loco conferenda sunt, quae Burerius annotat ad locum qui

Aliquanto certioris autem judicii de codicis deperditi indole ferendi ansam viri docti a Burerio datam esse putabant. Is enim ad Vellei locum, qui est libri posterioris cap. undetricesimi paragrapho quinta et apud Rhenanum sic legitur: „Hicce toga virili — adsuetus“ haec annotat: „Exemplar vetus habet „Hic a toga virili —“ Is qui Vellejum e vetusto descripsit, falsus est „a“ littera in ccc. Nam ut in hoc, sic etiam in quibusdam aliis veterum codicibus „a“ littera sic scribitur „cc“, quod ille pro „ce“ aspexit.

Hac igitur aperta „a“ litterae forma et eo nisus, quod saepissime syllabae cohaerentes vitiose divulsae, disjunctae vero conflatae erant, cujus corruptelae haud pauca exempla collegit Kritzius Proll. p. 100—101 Hauptius l. l. p. 194 codicem Murbacensem saeculum decimum non excessisse judicavit dissentiente Haasio in Praef. ad editionem priorem, p. 5: qui cum ob eam ipsam „a“ litterae formam, tum propter longiorum vocabulorum compendia, quae in hoc codice fuisse satis certum sit, eum saeculo undecimo vel duodecimo scriptum esse existimavit. Sed praeterquam quod haec Haasii de compendiis illis opinio nullo alio fundamento, nisi ipsius conjecturis fulcitur speciosis illis quidem et sapienter inventis, sed non tam certis, ut nihil de eis dubii restet[1]), Hauptii opinio eis firmatur quae Wattenbachius in libro: „Anleitung zur lateinischen Palaeographie“ Lipsiae 1870 sub „A“ littera pagina prima exeunte docet: „In Urkunden ist .cc Anfangs vorherrschend, noch im XII. Jahrhundert häufig; verschwindet dann auch hier und erhält sich nur noch in Abkürzungen. — In Bücherschrift ist ȣ von Anfang an häufiger und cc verschwindet schon im 12. Jahrhundert.“

---

in libri prioris capite decimo quarto legitur. „Qui aliquando“ inquit „veterum exemplaria evolverunt, saepicule immo ferme semper et ubique „t“ pro „d“ — legerunt. — Noverunt item pleraque veterum exemplaria sine majusculis litteris, sine punctis, demum etiam sine omni sententiarum discrimine scripta.“ Quibus verbis Burerium ad codicem Murbacensem respexisse ea clamant quae sequuntur: „Nunc cum praesentem Vellei locum sic scriptum repererim — litteris singulis ordine diligenter excussis atque perpensis sic legendum hunc locum exhibeo.“

1) Sic Haasius II., 28, 3 scripturae monstrum illud multis virorum doctorum conjecturis vexatum, quod aput Rhenanum sic legitur: „imperio prohres ad vindicandum maximi periculi spolia musieranteo“ ita mutavit: „imperio, quo priores ad vindicandam maximis periculis populi libertatem usi erant, eo —

II. 90, 1: misere deturpatam editionis principis lectionem quae est, et coram aliero“ ita emendare conatus est „ut concordia invaluere.“

II. 127, 2 pro „neque in parvo paucitas ministeria defecit“ scripsit: „nam quae impar operi auctoritas, ministeria deficit.“

Aliter Laurentius judicat qui l. l. p. 192 codicem Murbacensem eisdem fere de causis quibus Hauptius decimo, nono saeculo arrogat, sed ita, ut, utrum octavo septimove vel sexto necne ascribendus sit, in medio relinquat; et idem in Martinum quoque cadit qui l. l. p. 4 sextum septimumve origini ejus saeculum constituit. Orellius autem et Kritzius ab eo ita discrepant, ut ille[1]) codicem saeculo nono, hic autem[2]) haud scio an ea amplexus, quae Laurentius olim in Praef. Loc. Vellej. p. 19. disputavit, sed ut supra vidimus, postea respuit, decimo quarto scriptum esse perhibeant, neuter tamen causas afferre operae pretium duxit.

Nec minor quam de aetate codicis, de scriptura ejus dissensio est. Laurentius enim fortasse de scriptura Merovingica cogitandum esse monet, ad quam sententiam Martinus quoque transiit. Aliam vero viam ingressus Hauptius cum ex singularum litterarum confusione, tum ex magno, quibus codex Murbacensis refertus erat, vitiorum numero non hunc ipsum sed codicem *ἀρχέτυπον* ejus litteris Merovingicis et minusculis quidem lectuque difficillimis exaratum fuisse contendit, similique ratiocinatione usus Haasius *ἀρχετύπου* illius litteraturam Longobardicam fuisse statuit[3]), commotus hic „insigni ac multis exemplis prodita „t“ litterae depravatione, cujus formam Longobardicam, satis illam singularem cum variis modis scriba posterior interpretaretur multipliciter lapsus esset, velut II. 46, 1: ubi „vetus“ pro „victus“ et I. 17, 5, ubi „intra“ pro inq“ legendum esset. Quas conjecturas revera emendationes esse etsi concedendum est, recte tamen Martinus l. l. adnotatione tertia decima in litteratura Merovingica quoque tot et tam diversas „t“ litterae formas extare dicit, ut hoc argumento Hauptii sententia non infirmetur.

His igitur virorum doctorum de codicis scriptura conjecturis expositis, si quaenam sequenda sit, quaesiveris, cum omnibus praesidiis criticis quorum usus in ceteris scriptoribus maximus esse solet, in Vellejo destituti simus, totam rem ita comparatam esse in aprico est, ut certis argumentis ad finem perduci nequeat; si vero probabilitatem sequimur, ea quae Hauptius Haasiusque protulerunt magis mihi arridere confiteor, quam quae Laurentius Martinusque. Neque enim solum, stupidissimus

1) ad Vell. II. 26, 3.

2) ad Vell. I. 16, 2.

3) Errant igitur Martinus, Norb. Alstersius Kochiusque, cum quae Hauptius Haasiusque de *ἀρχετύπου* illius scriptura statuerint, ad codicem Murbacensem pertinere autumant.

licet librarius ille fuerit, qui codicem Murbacensem exaravit, errorum ingens multitudo, locorum autem turpissime depravatorum haud exiguus numerus explicari posset, nisi codicem ille lectu difficillimum ante oculos habuisset, sed etiam scriptura Merovingica vel Longobardica ita a ceteris discrepant et tam insignes sunt, ut si codex Murbacensis ipse eis scriptus fuisset, sine dubio Rhenanus Bureriusve disertis id verbis declaraturi fuerint.

Tertia quaestio est de codicis Murbacensis corruptelis, quae quot et quam variae fuerint ex lectionum vitiosarum, quibus Vellejani operis contextus quavis pagina scatet, ingenti numero elucet.

Neque enim solum aut librariorum incuria aut propter magnam codicis aetatem saepius singula vocabula interciderunt, verum etiam innumerabiles corruptelae aut ex litterarum similium confusione aut ex verbis syllabisve singulis vel vitiose conflatis, vel divulsis vel omissis vel adjectis ortae sunt. Haud pauca deinde omnis generis glossemata et interpolationes deprehenduntur nec desunt majorum lacunarum vestigia. Quae cum ita sint, hoc praecipue quaerendum esse videri possit, quae vitia ei debeantur, qui hunc codicem exaravit, quae ejus libri scriptori, quo ille usus est, vel etiam antiquioribus. At hoc cum omnes viderint ita in lubrico positum esse, ut nihil nisi hoc certo affirmari possit, Murbacensis libri scriptorem non solum summa neglegentia in describendo eo versatum esse sed etiam tam pingui Minerva, ut saepius ne in ineptissimis quidem lectionibus offenderet[1]), viri docti errores corruptelasque deprehensa colligere collectaque in brevem quasi conspectum dedisse jure satis habuerunt. Quo munere cum praeter ceteros Kritzius perfunctus sit[2]), — denuo subeundo commode mihi supersedendum et hoc tantum agendum putavi, ut vitiorum illorum, quibus potissimum codicem Murbacensem inquinatum esse constat, ratione habita nonnullorum

---

1) Sic Hauptius: „Aber wie viele Fehler der Ueberlieferung auf die Mur„bacher Handschrift kommen, wie viele auf die ältere, lässt sich nicht bestimmen. „Nur so viel ist klar, dass der Text durch die Hände eines Schreibers gegangen ist, „der nicht nur höchst nachlässig war, sondern auch stumpf an Geist und mit viel „Unsinn zufrieden.“

2) Proll. p. 86—115. Qui in permultis locis tractandis licet erraverit et ob eam ipsam causam in codicis quoque vitiis describendis saepissime vehementer lapsus sit, omnino tamen tantam curam hoc negotio operamque navavit, ut non sine fructu id suscepisse putandus sit. Quibus adde quae Lud. de Jan disputavit Philol. T. II[I] p. 337—42 et Haasius Praef. p. 3—4.

locorum, quos corruptos esse omnes quidem viderunt nec certis conjecturis correxerunt, novas emendationes proferrem. Qua in re si forte non ea qua par est, cura codicis vestigia secutus esse videar, me praesertim in scriptore tam misere tradito hujus potius ingenium et loquendi usum, quam monachorum incuriam stupiditatemque respexisse et hoc semper tenuisse confiteor, Vellejum tamquam argenteae, quam vocant, scriptorem aetatis saepius nimium licet quaesitas locutiones sententiasque admiserit, nunquam tamen languide scripsisse, sed semper orationis vigorem quendam ac splendorem captavisse.

In conjecturis autem proferendis eum ordinem sequar, ut primum de vocabulorum corruptelis agam, deinde nonnullos locos afferam, quibus lacunas deprehendisse mihi visus sim, tum paucos adjungam, quos glossemata redolere putem, denique duos Taciti addam, quorum alterum variis quidem modis tractatum, nec tamen persanatum esse persuasum habeam, alterum a nullo adhuc in dubium vocatum esse videam.

I. 1, 3.

Postquam Aegisthi et Clytemnestrae caedem ab Oreste et Electra patratam scriptor commemoravit, ita pergit: „Factum ejus a diis comprobatum spatio vitae et felicitate imperi apparuit; quippe vixit annis nonaginta, regnavit septuaginta, qui se etiam a Pyrrho, Achillis filio virtute vindicavit. Nam quod — pactae ejus — nuptias occupaverat — interfecit.“

Quae verba plus uno nomine virorum doctorum suspicionem moverunt, Fuerunt enim, qui, cum in pronomine „qui“ offenderent, variis modis id mutare conarentur, sed omnes frustra ut recte monuit Haasius in Ephem. litt. Hall. a. 1836 p. 435. Nam sive cum Wopkensio „quin“ scribimus, quam conjecturam ipse postea jure respuit Lection. Tullian. II., 13 p. 201. sive sequimur Munkerum „seque“ sive Halmium apud Orellium „quibus,“ sive Seebodium in Addend. apud Cludium p. 233 „quis“ conjicientem sequimur, haec omnia prae editionis principis scriptura valde languent: quam, si cum Grunero hanc enuntiationem plena, quam vocant, inter-

punctione ab eis disjungimus, quae antecedunt, mutare haud opus est. Alterum autem est vocabulum „virtute," quod uni Heinsio et fortasse Jacobsio quoque qui versionis Germanicae Lipsiae 1793 p. 2 hunc locum ita vertit: „Er nahm Rache an dem Pyrrhus, dem Sohne Achill's" suspectum fuisse valde mirandum est. Quamquam enim duplicem hujus ablativi explicandi rationem interpretes inierunt, neutra tamen vereor, ut probari possit. Krausius enim hac voce nihil aliud significari putat nisi „fortiter;" quod si Vellejus exprimere voluisset „cum" praepositionem addere debebat; sed ne tale quid eum in mente habuisse ex totius narrationis colore colligere licet, quippe qua cum aliae res post Trojam captam tum in Agamemnonis familia gestae enumerentur potius quam narrentur neque usquam quid scriptor ipse senserit, manifestum fiat.

Quam ob causam Heinsii quoque conjectura cadit, qui ante hoc vocabulum „pari" intercidisse conjecit, quo scriptor ad Aegisthi caedem paulo ante commemoratam respexerit. Altera ratio est Gruneri qui a Tacito loco profectus qui est Germ. 42, 1: „Praecipua Marcomannorum gloria viresque: atque ipsa etiam sedes pulsis olim Bojis virtute „parta" hic quoque vocabulum „virtute" pro ablativo habet, quem instrumenti vocant. Sed quid est, quaeso, se virtute ab aliquo vindicare? Nonne ejusmodi notio hic requiritur, qua quid Orestis virtute effectum sit, significetur? Quod si concedis — nam cur cum Jacobsio hanc voculam ejiciamus, non liquet — vix puto rixaberis mecum pro „virtute" „morte ejus" scribente et totum locum sic legente: „Qui se etiam a Pyrrho, Achillis filio morte ejus vindicavit. Nam quod — occupaverat — interfecit."

I. 6, 1.

„Insequenti tempore imperium Asiaticum ab Assyriis, qui id obtinuerant annis MLXX, translatum est ad Medos abhinc annos ferme DCCLXX. Quippe Sardanapalum — Arbaces — imperio vitaque privavit."

Cum Vellejus in Graecorum rebus narrandis praeter Apollodorum, quem fontem ejus fuisse Sauppius docuit Mus. Helv. a. 1837 p. 145—46 vel Cornelium Nepotem, qui quae de his in Chronicorum libris protulit, ex illo hausit praecipue Trogum Ponpejum ducem secutus sit, id quod et Krausius multis Justini locis collectis probavit, quibus scriptor orationis

colorem ex Trogo duxerit et ex hoc apparet, quod in Graecis externisve rebus tradendis inter utrumque saepissime convenit, valde mirandum est, quod hoc loco in rebus quidem ipsis prorsus cum illo facit, in numeris autem dissentit.

Nam cum Justinus sub finem Epit. I., 2 Assyrios imperium per mille trecentos annos, Vellejus autem tantum per mille septuaginta obtinuisse referat, plus ducentis annis ambo inter se differunt. Quae discrepantia, si apud alios quoque antiquitatis scriptores Vellejanae similis computatio exstaret, in re tam ambigua non ea esset, qua quis permotus hunc numerum mutare animum inducatur, sed res contra se habet. Vellejus enim non solum a Ctesiae descriptione, quam plerisque qui in hac re versati sunt, probatam Diodorus Biblioth. II., 21—22 his verbis expressit: *Μετὰ τὸν ταύτης θάνατον Νινύας ὁ Νίνου καὶ Σεμιράμιδος υἱὸς παραλαβῶν τὴν ἀρχὴν ἦρχεν εἰρηνικῶς κ. τ. λ. στρατηγοὺς δὲ καὶ σατράπας καὶ διοικητὰς — καθ᾽ ἕκαστον ἔθνος ἀποδείξας τὸν τοῦ ζῆν χρόνον κατέμεινεν ἐν τῇ Νίνῳ. Παραπλησίως δὲ τούτῳ καὶ οἱ λοιποὶ βασιλεῖς παῖς παρὰ πατρὸς διαδεχόμενος τὴν ἀρχὴν ἐπὶ γενεὰς τριάκοντα ἐβασίλευσαν μέχρι Σαρδαναπάλου. Ἐπὶ τούτου γὰρ ἡ τῶν Ἀσσυρίων ἡγεμονία μετέπεσεν εἰς Μήδους ἔτη διαμείνασα πλείω τῶν χιλίων καὶ τριακοσίων ἔτι δὲ ἕξ· καθάπερ φησὶ Κτησίας ὁ Κνίδιος ἐν τῇ δευτέρᾳ βίβλῳ·* sed etiam ab omnibus scriptoribus, quorum qui minimum dicunt, per MCCXL annos Assyriorum imperium stetisse affirmant[1]), ita discrepat, ut jam Clintonus Fast. Hell. T. I. p. 264 de corruptela hujus loci cogitandum esse recte judicaverit et his quidem verbis: „The facts are the facts of Ctesias. The numbers are probably corrupt.“

Qua re, cum saepius in codice Murbacensi denarias vel centenarias notas excidisse Kritzius bene moneat et eodem modo Lipsius numerum corruptum DCCLXX qui in hac ipsa enunciatione legitur, ita correxerit, ut una centenaria nota adjecta DCCCLXX scriberet, pro MLXX legendum puto MCCLXX quem numerum, cum inter maximum qui est MCCCVI et minimum qui est MCCXL annorum fere medius sit, ob eam ipsam causam Vellejus elegisse videtur.

---

1) In quo numero Eusebius est, qui Chron. I., p. 46 haec habet: „Sardanapallus: Sub hoc Lycurgus leges Lacedaemoniis ferebat. Haec finis fuit regni Assyriorum imperante Athenis Thespieo Ariphronis filio. Tempus imperii Assyriorum secundum accuratos scriptores anni MCCXL, secundum vero alios MCCC.“

II., 31, 3—4.

„Quo senatusconsulto paene totius terrarum orbis imperium uni viro deferebatur. Sed tamen idem hoc ante biennium in M. Antoni praetura decretum erat. Sed interdum persona ut exemplo nocet, ita invidiam auget aut levat.“

Quae in codice scripta erant „biennium“ et „in M. Antoni praetura“ emendarunt Krausius et Boherius ad Cic. Tusc. V., 21. Quorum ille, cum Antonium „gratia Cottae consulis et Cethegi factione in senatu curationem infinitam nactum esse totius orae maritimae“ Pseudo Asconius ad Cic. in Verr. II., 3, 8 tradiderit, M. autem Cotta autem anno a. u. DCLXXX consul fuerit, a quo usque ad legem Gabiniam, de qua scriptor hoc loco agit, anno DCLXXXVII latam septem anni praeterlapsi essent, septennium scripsit, quod Orellius et Kritzius jure receperunt. Quamvis enim Vellejus, ut Sauppius l. l. p. 147—155 ostendit, multos in rebus narrandis errores commisit, haec tamen codicis lectio tantopere a vero abhorret, ut ipsius Vellei in re notissima errore excusari nequeat.

Alterum autem vitium a Boherio „in M. Antonio praetore“ scribente certissima correctione emendatum esse Kritzius et Ruhnkenius demonstraverunt.

Sed haud scio an gravior corruptela insit in verbis: „Sed interdum persona, ut exemplo nocet, ita invidiam, auget aut levat;“ quibus quid scriptor dicere voluerit, ut recte intelligatur, paucis de sententia totius loci agendum est. Vellejus igitur, ut explicet, qui factum sit, ut Romani idem summum imperium, quod antea in Antonio tulerant, paulo post Pompejo inviderent, ad utriusque imperatoris personam describendam recurrit; cum enim Antonius tantum abfuerit, ut rerum potiri cuperet, ut bello cujus gerendi causa hoc extraordinarium imperium acceperat, confecto, ni morte praeventus fuisset, libentissime id depositurus fuisset, in Pompejo longe aliter rem se habuisse, quippe qui nullam summae potentiae captandae occasionem praetermiserit. Opponuntur igitur hoc loco persona ducis et exemplum illud, quo nimia ei potentia delata sit; quod quamquam semper a libera republica abhorreat, non tamen semper eandem sed duce dominationis cupidissimo acriorem, modesto vero leviorem invidiam habeat.

Quae sententia, cum non solum codicis scriptura sed etiam omnium

fere virorum doctorum conjecturis parum apte expressa sit, neque in illa, neque in his acquiescendum esse puto.

Lipsius enim conjecit: „Sed interdum persona, ut exempla docent, aut invidiam auget, aut levat“ eumque Laurentius ita sequitur in Locc. Vell. p. 139, ut pro exempli vocis numero plurali singularem ponat: quae conjecturae quantum ab interna hujus loci fide abhorreant, nemo non videt.

Heinsius scripsit: „ut exemplo prodest vel nocet, ita rei invidiam auget aut levat;“ quod si ad codicis vestigia propius accederet, haud displiceret.

Orellius legi jussit: „Sed interdum persona, ut exemplo nocet aut non nocet, ita invidiam auget aut levat“ quod probari non posse ex eis apparet, quae supra de sententia hujus loci disputavi.

Quae cum ita sint unus Bernaysius rectam emendandi viam ingressus est, qui apud Haasium Praef. ed. II. p. IX. hoc scribendum proposuit: „Sed interdum persona in exemplo nocituro invidiam auget aut levat“, quod amplecti non dubito, sed ita, ut id quod Vellejus dicere voluit, paulo clarioribus verbis reddam et his quidem: „Sed interdum persona, ut exempli nocentis invidiam auget, ita levat.“

II., 33, 3.

„Nam neque Pompejus, ut primum ad rempublicam aggressus est, quemquam animo parem tulit et in quibus rebus summus esse debebat, solus esse cupiebat.“

Cum vocem „animo“ sive cum Heinsio ad „parem,“ sive cum Kritzio ad „tulit“ vocabulum retuleris, non solum languidam et molestam sed etiam a Romanorum loquendi usu prorsus alienam esse viri docti perspectum haberent, variis modis eam emendare conati sunt. Ruhnkenius enim pro „animo“ scripsit „magnitudine“, quod quamquam per se ferri potest, nimis tamen a codicis vestigiis recedit, ad sententiam autem haud necessarium est: quam ob causam Haasius Lipsii conjecturam praetulit, qui vocem „aequo“ ante „animo“ intercidisse statuit, quod multo majore probabilitatis specie commendari vix negaveris.

Aliam viam ingressi sunt Acidalius, qui „animo“ in omnino mutavit et Franciscus Giesius, qui Quaestionum criticarum Vellejanarum:

Monasterii 1868 p. 38 „animantem“ conjecit. Quarum conjecturarum, ut illa placet, ita haec valde displicet. Quamquam enim Giesius, ut Romanos „animantem“ pro „hominem“ dixisse probet, Horatianum illud affert: „Sed hic stilus haut petet ultro
„Quemquam animantem et me veluti custodiet ensis
„Vagina tectus“
nihil tamen assecutus est. Nam ut de hoc taceam, quod Horatius hoc loco a vivorum tantum hominum vitiis destringendis castigandisque sese abstenturum esse dicit, etiamsi has voces prorsus idem valere Giesio concedendum esset, nil tamen proficeremus, cum adjectis eis, tantum abest, ut bene procedat oratio, ut mirum in modum langueat.

Quae cumita sint Lipsianam aut Acidalianam conjecturam recipere non dubitarem, nisi simpliciorem emendandi rationem similes Vellei aliorumque scriptorum loci ab Acidalio Ruhnkenioque collecti monstrarent. Quales sunt: Vell. II., 29, 3: „Fuit hic (i. e. Pompejus) dux bello peritissimus, civis in toga, nisi ubi vereretur, ne quem haberet parem, modestissimus“ —

Luc. Phars. I. 125: „Nec quemquam jam ferre potest Caesarve priorem
Pompejusve parem.“

Flor. Epit. IV. 2, 14: „Jam Pompejo suspectae Caesaris opes et Caesari Pompejana dignitas gravis. Nec ille ferebat parem, nec hic superiorem.“

Quibus adducor, ut cum syllaba „am“ praecedat, vocem „animo“ tamquam ex dittographia ortam ejiciam.

In reliqua autem hujus loci parte tractanda Kritzium bene egisse puto. Quem, cum vocem „debebat“ a Lipsio, Grutero, Ruhnkenio, Moebio, Cludio in dubium vocatam varieque mutatam defenderet et idem significare moneret, ac si dictum esset: „in quibus rebus summus jure meritoque erat“ Franc. Giesius Haasiusque jure secuti sunt.

Idem dittographiae vitium, quod corruptelae genus in codice Murbacensi saepius deprehensum esse Kritzius demonstravit Proll. p. CXII—XIII in alio quoque loco misere depravato reperisse mihi visus sum. Qui est:

II., 51, 3.

„Tum Balbus Cornelius excedente humanam fidem temeritate ingressus castra hostium saepiusque cum Lentulo collocutus, dubitante

quanti se venderet, illis incrementis fecit viam, quibus non Hispaniae Asiae natus, sed Hispanus in triumphum et pontificatum assurgeret fieretque ex privato consularis."

Cum hunc Balbum minorem, ejus, quem summa apud Caesarem gratia floruisse et cum Hispanus fuerit, primum externorum ad Romanos magistratus admissum esse constat, ex fratre filium, quamvis Gaditanus fuerit nihilosetius tamen triumphasse Plinius tradit Hist. Nat. V., 5: „Omnia armis Romanis superata et a Cornelio Balbo triumphata, unius omnium externo curru et Quiritium jure donato. Quippe Gadibus nato civitas Romana cum Balbo majore patruo data est" vox „Asiae" quam ferri non posse in aprico est interpretum ingenia vehementer torsit multarumque conjecturarum causa fuit. Omnium autem, qui in emendanda ea elaborabant, longe optime versatus est Lipsius, qui postquam Romanos voce „Hispanus" nationem et voce „Hispaniensis" sedem tantum hominis significasse exemplis probavit ex Sosipatro, Martiali Festoque petitis, eandem argutiam quoque in hac corrupta lectione inesse ratus pro „Hispaniae Asiae natus" „Hispaniensis natus" scripsit; quam conjecturam Ruhnkenius, Boeclerus, Vossius, Haasius Ephemm. litt. Hall. a. 1837 p. 199 alii non certam quidem hujus loci emendationem habebant sed ceteris longe praeferebant. Quod quam recte fecerint, si in has inquisiveris, vix te negaturum esse puto.

Nam ut de Rhenani Burerii Aldique Nepotis conjecturis taceam, quas ne verbo quidem refutare opus est — sunt enim haec — „quibus non Hispaniae Asiaeve natus" aut „quibus non Hispaniae suae natus" aut „quibus non Hispaniae natus esset i. e. consuleret et splendorem afferret" — ne Acidalius quidem, quamquam tres scripturas protulit, quidquam profecit: scripsit enim aut „quibus homo Hispaniae Gadibus natus" aut „natus ab Hispanis" aut „quibus homo Hispanus et Hispaniae Gadibus natus," quae conjecturae etsi sententiam bonam efficiunt, longius tamen a codicis vestigiis absunt, quam quae recipi possint. Ob eandem causam Rigaltius quoque et Gelenius a vero aberraverunt, ex quibus ille tertiam Acidalii conjecturam amplexus particulas tamen „non — sed" retinuit, hic autem pro „Asiae" „Gadibus" scripsisse satis habuit.

Jam sequuntur Popmae, editorum Bipontinorum Kreyssigiique conamina haec:

„Quibus non Hispaniae suae notus"

„Quibus non Hispaniae alienatus"

„Quibus non Hispaniae assignatus:“ — quae quantum aut a recta sententia. aut a latino sermone abhorreant, cum nemo non videat, statim ad eos transeamus, qui in „Asiae“ vocem „cive“ latere putabant. Quorum primus est Burmannus, qui scribendum proposuit: „Quibus non Hispaniensi cive natus, sed Hispanus“ eumque secutus est Hottingerus in Mus. Turic. Vol. I. P. II., sed ita, ut „Hispania at cive natus“ legendum putaret, quam conjecturam Morgensternius in libro qui inscribitur: Probabilia critica: Dorpati 1843, Laurentius Locorum Vellejanorum p. 51 Luxdorphiusque Jahnii Nov. Annal. Phil. et Paed. Suppl. I., 2 p. 170 ita mutabant, ut pro „Hispania“ genetivum, qui in codice erat, restituerent, aut „in“ praepositionem adderent et illud „cive“ aut cum „ex“ aut cum „a“ praepositione conjungerent. Quas conjecturas, etsi et mutationis facilitate et sententiae probabilitate commendantur, hoc tamen vitio laborare bene observavit Haasius l. l. quod tota haec locutio quae est „in Hispania a cive natus“ duri ac frigidi aliquid habeat, quod a Lipsianae conjecturae elegantia valde distet.

Sed ne hanc quidem in contextum recipi posse, quamquam causam non addit, dubia tamen, ni fallor, externa ejus fide commotus jure meritoque idem vir doctus asseverat his verbis: „Ich bemerke hierbei zugleich, dass die neueste Conjectur von H. Laurent „non in Hispania a cive natus sed Hispanus“ die auch Morgenstern gemacht hat, der nur ex statt a setzt, ebenso wie die alte von Hottinger, die beiden zu Grunde liegt, eine ich möchte sagen allzusteife und amtsmässige Bezeichnung enthalten; Lipsius hatte hier den ganz richtigen Takt, hier irgend eine argutia im Ausdrucke zu suchen und sein Hispaniensis natus ist in dieser Beziehung nicht uneben, doch ist es schwerlich das Richtige.“

Quae cum ita sint, multo faciliore ratione hanc difficultatem tollendam esse puto, si vocem „Asiae“ tamquam ex dittographia ortum syllabarum „aniae“ quae antecedunt, ejicimus. Quam conjecturam non solum molestum hoc „a cive“ tollitur, sed etiam argutia illa necessaria Vellejoque dignissima retinetur, quam Lipsius elegantius licet expresserit, multo tamen planiorem clarioremque quam apud Morgensternium, alios et codicis lectioni multo accomodatiorem quam apud Lipsium evadere manifestum est.

Si vero quispiam dixerit me in eo errasse, quod codicis lectionem „Hispaniae“ retinuerim, id quod jam Acidalius, Gelenius, Rigaltius, Luxdorphius ante me fecerunt, is videat, quae disputaverunt Haasius in

adnot. 520 ad Reisigi librum qui inscribitur: Vorlesungen über die Lateinische Sprachwissenschaft; Vossius: de constr. c. 25. Davisius Oudendorpiusque ad Caes. Bell. Gall. VIII. Praef. § 2. Kritzius ad Sall. Jug. 33, 4. Berneggerus ad Justin XIV, 5, 9. Duker ad Flor. I, 18, 11 et III, 10, 16. Ruddimann. Inst. Gramm Vol. II. p. 284 et his exemplis fruatur:

Caes. Bell. Gall. VIII. Praef. § 2: — insequens annus nullas res Galliae habet magno opere gestas.

Lucan. Phars. VIII. 428: — Etsi Thessaliae bellum civile peractum est.

Hirt. Praef. ad Bell. Gall. VIII. Caesaris nostri commentarios rerum gestarum Galliae.

Flor. I, 18, 11: Lucaniae suprema pugna sub Arusinis, quos vocant, campis, ducibus iisdem.

Totum igitur locum sic lego: „Tum Balbus Cornelius — illis incrementis fecit viam — quibus non Hispaniae natus, sed Hispanus — assurgeret.“

II. 69, 2.

„Jam et Dolabella — C. Trebonium consularem cui succedebat — occiderat, virum adversus merita Caesaris ingratissimum — a quo ipse in consulare provectus fastigium erat; et C. Cassius — inclusum Dolabellam, qui praeoccupata Asia in Syriam pervenerat, Loodicia expugnat ea urbe fecerat, ita tamen, ut adjectum servi sui — non segniter cervicem daret — et decem legiones eo tractu sui juris faceret.“

Sic Burerius et Amerbachius habent, in editione principe autem ex tacita sed verissima Rhenani mutatione pro „adiectum“ scriptum est „ad ictum;“ porro pro: „Laodicia expugnat“ „Laodiceam expugnata.“ Tradit igitur Vellejus Cn. Dolabellam, quem anno a. u. DCCX consulem fuisse supra commemoraverat (II, 58) Syriam provinciam nactum C. Trebonium consularem, cui successerit, occidisse, mox autem ipsum sceleris poenam dedisse et Laodicea, in quam urbem se receperit a C. Cassio expugnata sibi ipsum mortem conscivisse. Quam sententiam, ut per se clarissima est, ita editorum nemo satis curavit.

Quam Kritzius et Ruhnkenius exhibent scripturam, probatam illam ab Haasio quoque: „C. Cassius inclusum Dolabellam Laodiciae, expu-

gnata ea urbe interfecerat, ita tamen, ut ad ictum — daret" partim Vossio, partim Rhenano debent, quorum hic „interfecerat" vel „confecerat" scripsit, ille „Laodiceam," cum accusativum ad perveniendi verbum pertinere non posse videret quippe quod jam cum vocibus „in Syriam" conjunctum esset, in „Laodiceae" mutavit. Cur vero genetivus opus sit, non liquet; nam cum Dolabellam inclusum fuisse et Laodicea expugnata mortem oppetiisse viderimus, Laodiceae eum inclusum fuisse in promptu est; immo vero illud „Laodiceae" sive ad „inclusum" sive ad „interfecerat" retuleris loco tam molestum est, ut ferri nequeat.

Aliud autem vitium inest in vocabulis „ea urbe," quae quam frigidam ac languidam orationem reddant, elucet. Sed id quod gravissimum est, cum ex enunciato quod sequitur „ita tamen ut ad ictum servi sui Dolabella non segniter cervicem daret" hunc voluntaria morte obiisse, non Cassii manu jussuve necatum esse appareat, ipsa „interficiendi" notio summam movet offensionem quae eo etiam augetur, quod inter ceteros quoque scriptores qui de hac re egerunt, et Vellejum ipsum prorsus convenit.

Livius enim Epit. CXXI: „C. Cassius" inquit „cui mandatum a senatu erat, ut Dolabellam hostem judicatum bello persequeretur, auctoritate reipublicae adjutus Syriam cum tribus exercitibus, qui in eadem provincia erant, in potestatem suam redegit et Dolabellam in urbe Laodicea obsessum mori coegit."

Similiter Appian. *Ἐμφ. IV*, 61: *ἁλούσης δὲ τῆς πόλεως ὁ μὲν Δολαβέλλας προὔτεινε τὴν κεφαλὴν τῷ σωματοφύλακι αὐτοῦ καὶ τεμόντα προσέταξε φέρειν Κασσίῳ σῶστρον ἴδιον, ὁ δὲ τεμὼν ἐπικατέσφαξεν ἑαυτόν.*

Dio Cassius *Ἱστορ. Ῥωμ.* XLVII, 30 haec habet: *τότε γὰρ ἀμφοτέρωθεν τῆς ἐπαγωγῆς τῶν ἐπιτηδείων ἐρχθεὶς ἐπεκδρομὴν μὲν σπάνει τῶν ἀναγκαίων ἐποιήσατο, κατερχθεὶς δὲ διὰ ταχέων εἰς τὸ τεῖχος καὶ προδιδόμενον αὐτὸ ἰδὼν ἐφοβήθη μὴ ζῶν ἁλοίη καὶ ἑαυτὸν κατεχρήσατο.*

Quare hoc quoque loco ejusmodi verbum requiritur, quo id exprimatur, quod Dolabella ad summam desperationem adductus se ipse interimere coactus est. Quam si fortasse quispiam in simili locutione inesse collegerit, quae alio Vellei loco invenitur qui de C. Gracchi morte est: II, 6, 5: „Hunc (i. e. C. Gracchum) L. Opimius consul, qui praetor Fregellas exciderat persecutus armis unaque Fulvium Flaccum consularem

ac triumphalem virum aeque prava cupientem quem C. Gracchus in locum Tiberii fratris triumvirum nomine, re autem socium regalis assumpserat potentiae, morte affecit — Gracchus confugiens cum jam comprehenderetur ab iis, quos Opimius miserat, cervicem Euporo servo praebuit, qui non segnius se ipse interemit, quam domino succurrerat"

eum rogatum velim, ut quantum inter C. Gracchi et Dolabellae mortem vel inter Opimii et Cassii rationem intersit, apud ipsum Vellejum videat.

Quapropter ad virorum doctorum conjecturas transeundum est, quas si in examen vocaveris, ne unam quidem stare posse videbimus. Rhenani enim illud „interfecerat" vel „confecerat" rejiciendum esse ex eis apparet, quae de hujus loci sententia disputavi et ob eandem causam Vossii conjectura cadit „ceperat" scribentis, cum Dolabella a Cassio non esset captus.

Sigism. Gelenius, qui editionem Basileensem paravit, vir ceteroquin sagax atque ingeniosus ex parte quidem hunc locum eo sanavit, quod voces „ea urbe" misere languere probaret, sed in eo erravit, quod eas prorsus ejecit et in Rhenani illo „interfecit" acquiescendum esse putavit; scripsit enim: „et C. Cassius -- inclusum Dolabellam Laodicea expugnata interfecerat."

Nec plus id valet quod Popma proposuit: „inclusum Dolabellam — Laodicea expugnat. Ea urbe ejecerat" quo nil ineptius esse posse nemo non videt.

Schefferus Misc. Obss. Vol. IX p. 170 conjecit: „Dolabellam — Laodicea" (i. e. inclusum) expugnaverat, „ita tamen:" quod ut de mira locutione taceam, qua qui urbem aliquam defendit, ea ipsa, non ab hoste inclusus dicitur jam propterea vitiosum est, quod Dolabellam a Cassio obsessum fuisse supra vidimus.

Baiteri autem conjectura qui apud Orellium scribit: — „Laodiceae expugnata urbe ceperat" ob eandem causam atque Vossii concidit idemque in Krausii Cludiique conamina cadit haec scribentium: „Laodiciae expugnata ea urbe confecerat."

Aliter Eug. Wilhelmus Quaestionum Vellejanarum quae Jenae prodierunt anno hujus saeculi sexagesimo sexto p. 38—39 et Kochius l. l. p. 20 rem instituerunt. Ille enim voces „urbe fecerat" in „labefecerat" commutavit collato Taciti loco qui est: Ann. VI, 29: „nihil hunc

amicitia Sejani, sed labefecit haud minus validum ad exitia Macronis odium.

Quod quamquam per se dici posse haud infitias eo hoc tamen loco parum definitum videtur. Kochius autem prius illud „fecerat“ quod ex versibus sequentibus irrepserit, ejecit et voces, inclusum Dolabellam cum locutione „sui juris fecerat“ conjungit hoc modo: „C. Cassius inclusum Dolabellam — Laodiceae, expugnata ea urbe ita tamen, ut ad ictum, servi sui Dolabella non segniter cervicem daret et decem legiones in eo tractu sui juris fecerat.“ Quod non solum propter structurae difficultatem rejecerim, sed etiam quod intelligi posse nego, quomodo aliquis eum, qui se ipse interemit, sui juris facere vel dicioni suae subjicere possit. Equidem non solum verbum „fecerat“ verum etiam quae antecedunt „ea urbe“ corrupta esse neque aliter sanari posse puto, nisi ita, ut ex eis locutio aliqua eruatur, qua Dolabellam sibimet ipse mortem consciscere coactus significetur; „quae haud scio an ita effici possit, ut pro „ea urbe fecerat“ scribatur: „ad mortem egerat“ et totus locus sic legatur: „C. Cassius inclusum Dolabellam — Laodicea expugnata ad mortem egerat, ita tamen, ut — daret.“

Eandem locutionem a Tacito quoque usurpatam esse his locis manifestum est:

Annal. VI, 10: „haec apud patres: nec secus apud principem Vescularius Flaccus ac Julius Marinus ad mortem aguntur.

Annal. XIII, 1: Nec minus properato Narcissus Claudii libertus aspera custodia et necessitate extrema ad mortem agitur.“

De formarum autem usu duplici „Laodicea et Laodicia“ „Alexandrea et Alexandria“ „Antiochea et Antiochia“ cum jam Heinsius ad Verg. Aen. I, 201, Drakenborchius ad Liv. XXXI, 43, Bremi ad Nep. Alcib. IV 7, Conr. Leop. Schneider: Gramm. lat. Vol. I. P. I. p. 70 satis disputaverint, addere quicquam longum est.

II., 85, 6.

Postquam Vellejus Antonium in pugna Actiaca fugientem Cleopatram secutum esse militesque absente imperatore „aegre summissis armis cessisse victoriam“ narravit, sic pergit:

„Fuitque in confesso milites optimi imperatoris, imperatorem fugacissimi militis functum officio. Videbit e suo an Cleopatrae

arbitrio victoriam temperaturus fuerit, qui ad ejus arbitrium direxit fugam."

Ita editio princeps Bureriusque Amerbachius vero voce „officio" negligenter omissa hoc habet: „functum. Videbitesne an Cleopatrae", quod Orellius cupide arripuit Rhenanumque interpolationis insimulavit; „ineptissimum enim esse fugacissimi militis officium et supervacuaneum et sententiae vim infringens verbi suo." Quare codicis lectionem hanc fuisse perhibuit: „Fuitque in confesso, milites optimi imperatoris, imperatorem fugacissimi militis functum vice. Dubitesne suo an Cleopatrae — temperaturus fuerit. —"

Quam ratiocinationem bene Kritzius ita refellit, ut vocabulum „officio" proprio sensu ad „imperatoris" pertinens per zeugma quod vocant etiam cum verbis „fugacissimi militis" conjunctum esse ostenderet et exemplis aptissimis probaret.

Corruptissimam hauc lectionem aliqua ex parte haud infeliciter Burerius sanavit, qui legit: „functum officio, ut dubites suone an Cleopatrae — temperaturus fuerat" quod Vossius ita correxit: „ut dubites, suo an Cleopatrae — fuerit" particula „ne" jure omissa, quam non necessariam esse Krausius exemplis e Salustio petitis demonstrat velut Jug. 31 „verum frustra an ob rem faciam in vestra manu situm." Ibid. 38: „fugere an manere tutius foret, in incerto erat." Quibus alia addere ut res facilis negotii, ita longum est.

Sed haec quoque Vossii scriptura quamquam a Kritzio Haasioque in contextum recepta est habet tamen, quod valde displiceat. Nam si quid video id ipsum Vellejus dicere voluit, minime incertum fuisse qualem Antonius si vicisset, se gesturus fuisset. Quare cum particula negativa aut ejusmodi sententia opus esse ceteri viri docti perspectum haberent, alii alio modo in hac substituenda versati sunt:

Burmannus scripsit: „unde liquet suo an Cleopatrae — temperaturus fuerit"

Norb. Alstersius: l. l. p. 38—39: ut non dubites, suo — an — fuerit.

Rhenanus: Viderit e suo, an — fuerit.

Editores Bipontini: Viden ut e suo, an — fuerit.

Luxdorphius: l. l. p. 171: Vide deinde suo, an — fuerit.

Bothius: Vide licet, suo an — fuerit.

Froehlichius: Diurn. doct. Monac. a. 1837 p. 331: Videlicet non ad Cleopatrae — fuerat.

Heinsius: ut ne dubites suone an fuerit.

Orellius: dubitesne an — fuerit."

Quarum conjecturarum etsi nonnullae ita comparatae sunt, ut a Vellejo non alienae videantur, melius tamen Ruhnkenio, quocum Krausius fecit, res evenit ita scribenti: „Quis dubitet, suo an Cleopatrae — temperaturus fuerit —." Quod praesertim cum „q" litteram „o" antecedente in codice Murbacensi saepius interceptam fuisse Kritzius exemplis docuerit ad II, 20, 2; 34, 3; 39, 1; amplecti non dubitarem, cum neque a sententia neque a litteris aliena sit, nisi propius ad codicis vestigia accessum iri putarem, si pro „Videbit e suo" „Vix dubites suo, an —" scribimus et totum locum sic legimus: „Fuitque in confesso milites optimi imperatoris, imperatorem fugacissimi militis functum officio. Vix dubites suo an Cleopatrae arbitrio victoriam temperaturus fuerit, qui ad ejus arbitrium direxit fugam."

II, 111, 4.

„In quaestura deinde remissa sorte provinciae, legatus ejusdem ad eundem missum quae nos primo anno acies hostium vidimus! Quantis prudentiæ ducis opportunitatibus furentis eorum viris universas evasimus partibus! Quanto cum temperamento simul utilitatis res auctoritate imperatoris agi vidimus!"

Bellorum quae sub Augusti imperio exarserunt uno Germanico excepto nullum gravius Romanoque nomini periculosius fuit, quam Pannonicum Delmaticumque alterum.

Quod anno a. u. DCCLIX M. Aemilio Lepido C. Atejo Capitone coss. a duobus Batonibus ac Pinnete, ducibus motum, cum hostes ducenta fere milia peditum armis habilium et Romana disciplina exercitatorum collegissent, tantum Romanis timorem injecit, ut „stabilem quoque illum et formatum tantorum bellorum experientia Caesaris Augusti animum quateret ac terreret."

Sed res prospere evenit, Tiberius enim, cui summa belli tradita fuerat, tribus annis post, ut assolebat, conditionibus magis quam proeliis id ita composuit ut „omnis Pannonia pacem peteret et ferox illa tot milium juventus paulo ante servitutem minata Italiae apud flumen no-

mine Bathinum arma conferret et ducum alter caperetur, alter se ipse dederet."

Illam igitur Tiberii prudentiam, qua is auctoritate sua potius et prudentia, quam cruentis victoriis rem egerit, scriptor hoc quoque loco pleno ore praedicat, cujus sententia ut per se manifesta est, ita codicis Murbacensis scriptura mirum quantum deturpata est. Ac primum quidem hoc monendum est, Halmium in eo errasse, quod Amerbachio nimium tribuens qui pro „missus" „missum" habet, „missus sum" conjecit. Etsi enim hanc corruptelam, qua librarius „ob similitudinem litterarum ab altero ad alterum vocabulum abreptus ex duobus unum fecerit" in codice Murbacensi saepius inveniri Halmius praeclare monuit[1]) et aliis locis egregie demonstravit, hic tamen facere non possum, quin Haasio assentiar, qui Ephemm. litt. Hall. a. 1837 p. 218 probante Kritzio ita disputat: „Ferner möchte ich die erwähnte Bemerkung des Herrn H. auch nicht auf die Stelle II, 111, 3 ausdehnen, wo er missum in missus sum verwandelt; durch Aufhebung der Participialconstruction nämlich reiht sich der folgende Satz gar zu schroff an; daher möchte ich lieber missus beibehalten; dass an diesem Singular kein Anstoss zu nehmen ist, da Vellejus nachher auf den Plural übergeht, bedarf doch wohl keines Beweises."

Verbis quae statim sequuntur: „Quantis prudentia ducis opportunitatibus furentis eorum viris universas evasimus partibus," cum non omni offensione carere viri docti bene perspectum haberent, variis conjecturis succurrerunt. Quibus jam a Kritzio collectis cum loci sententia plana sit, denuo enumerandis retractandisque supersedeo et partim ex ea quam Ruhnkenius protulit, partim ex Laurentii Loc. Vell. p. 146 partim ex Censoris in Biblioth. philol. Vol. I p. 42 hoc scribendum propono: „Quantis prudentia ducis opportunitatibus usi furentis eorum viris universis elusimus partibus!"

Jam sequuntur haec: „Quanto cum temperamento simul utilitatis res auctoritate imperatoris agi vidimus."

Quae duobus vitiis laborant; et prius quidem viri docti ita corrigere studebant, ut cum „simul" particulam non habere viderent, quo pertineret, voci „utilitatis" aliam et eodem quidem casu positam opponerent: posterius vero, positum illud in languida vocum „utilitas et auctoritas"

---

1) Emendationum Vellejanarum quae Monachii prodierunt a. 1836 p. 3—4.

oppositione pauci intellexerunt, correxit nullus. Haec enim aliis locis licet aptissima sit, velut:

II, 127, 2: — „interestque reipublicae, quod usu necessarium dignitate eminere utilitatemque auctoritate muniri," ubi scriptor eos, qui reipublicae praefuerint, semper magnis adjutoribus usos esse planum reddit, quibus eis, quae utilia et salutaria esse duxerint persequendis major auctoritas accederet, hic tamen molesta, ne dicam inepta est. An hercle tot itinera periculosa, tot labores, tot proelia, tot insidias, omnino tantam illam seditionem extinctam, qua ex longa temporum memoria nulla terribilior fuit, „res utilitatis" vel „utiles" tantum a scriptore dici potuisse putas? Immo vero multo gravior ac fortior oppositio requiritur, quae cum nulla conjectura adhuc expressa sit, omnia conamina adhuc prolata nihil ad veram sententiam efficiendam profecerunt. Sunt enim haec:

Ruhnkenii: ad Rutil. Lup. I, 13: „Quanto cum temperamento simul civilitatis et auctoritatis imperatoris agi vidimus!"

Heinsii: Quanto — virtutis simul et utilitatis res auctoritate —

Eldikii apud Wyttenbachium Bibl. crit. Vol. I. Pars IV p. 61: — simplicitatis res auctoritate —

Krausii locum pro lacunoso habentis: „Quanto cum temperamento.... simul utilitatis res auctoritate —

Cludii: — virtutis et utilitatis res auctoritate —

Gruneri: — simul utilitatis et auctoritatis —

Moebii apud Cludium Corrigend. et Addend. p. 251: — simul animi et utilitatis res auctoritate —

Halmii Emendd. Vell. p. 20: — simul lenitatis res auctoritate —

Laurentii: — simul utilitatis reipublicae res et auctoritatis —

Kritzii: — simul utilitatis reipublicae et auctoritatis imperatoris —

Mommseni apud Haasium: — summae utilitatis res auctoritate imperatoris —

Eug. Wilhelmi: l. l. p. 49: — simul dignitatis et utilitatis res auctoritate —

Quae ita refutare, ut quibus vitiis singulae laborent, cum omnia a recta sententia procul abesse viderimus, haud opus est.

Quam ut eruamus longe aliam viam ineundam esse puto in quam utpote simplicissimam nullum adhuc incidisse valde mirandum est. In vocum igitur: „simul utilitatis" apicibus adjectivum aliquod latere, quo quam graves res sola auctoritate sua Tiberius egerit, significetur et totum

locum sic scribendum esse puto:

„Quanto cum temperamento tumultuosissimas res auctoritate imperatoris agi vidimus!“

Jam ad id corruptelarum genus transeundum est, quo singula vocabula interciderunt, nam de majoribus lacunis non ago. Quod in codice Murbacensi haud rarum fuisse ex eis locis apparet quae Kritzius collegit Proll. p. 109 — 10. Quales sunt:

II, 86, 2: „ex qua lenitate ducis colligi potuit, quem aut initio triumviratus aut in campis Philippicis si sic licuisset, victoriae suae facturus fuerit:“ ubi cum omnium fere editorum assensu Rhenanus vocabulum „modum“ post „fuerit“ excidisse conjecit.

ibid: „At Sosium L. Arunti — fides, mox diu clementia luctatus sua Caesar servavit incolumem“ ubi bene Lipsius „cum clementia“ scripsit.

II, 87, 3: „Ultimus autem ex interfectoribus Caesaris Parmensis Cassius morte poenas dedit, ut dederat Trebonius“ ubi certissima emendatione Aldus Nepos scripsit: „ut dederat primus Trebonius.“

II, 90, 2: „in quas provincias, cum — primo anno secundi Punici exercitus missi essent“ ubi vocabulum „bellum“ ante „Punici“ in contextum inserendum esse Heinsius bene vidit.

De hoc lacunarum genere Hauptius quoque pauca dixit l. l. p. 192. Qui quamquam jure suo hoc cavendum esse monuit, ne quis in emendando Vellejo nimio earum studio sese abripi sineret, non tamen temperare mihi potui, quin tribus Vellei locis, quibus aliquid deesse mihi videretur inserendis vocabulis mederi studerem. Quorum primus est:

I, 9, 5.

„Ita Paullus maximum nobilissimumque regem in triumpho duxit. Quo anno et Octavi praetoris navalis et Anici regem Illyriorum Gentium ante currum agentium triumphi fuere celebres.“

Praeter Gelenium, qui codicis ineptam lectionem „agentium“ bene in „agentis“ mutavit, quod necessarium esse Livii loco docemur XLV, 43, 6: „Ante currum (i. e. Anici) ducti Gentius rex cum conjuge et liberis“ nemo hunc locum in suspicionem vocavit, nisi Norb. Alsters l. l. p. 15—17, sed usus ille ratiocinatione prorsus inani. Cum enim, id quod concedendum est, Romani nunquam praetores navales habuerint et Octavius

jam in eis quae proxime antecedunt praetor nominatus sit, hanc vocem non ad Octavium sed ad Antistium pertinere collegit, quem unacum illo eundem magistratum gessisse Liv. Epit. XLIV, Flor. II, 13, Zonaras IX, 24 memoriae tradiderint et totum locum sic legendum esse censet: „Quo anno et Octavi navalis et Anici praetoris regem Illyriorum Gentium ante currum agentis triumphi fuere celebres.“ Conjectura scilicet egregia! Quasi Vellejo, quem saepissime in eadem enunciatione vel in duarum confinio idem vocabulum repetiisse Kritzius multis exemplis demonstravit Proll. p. 67 – 70 haec tantum bis ponere non licuerit!

Paullo graviorem autem offensionem id movet, quod infra non adjectivum aliquod sequitur, quod „navalis“ voci respondeat. Quam constructionem quidem cum apud omnes scriptores, tum maxime apud eos usitatam esse, qui negligentius scribant et per se ferri posse ut Alstersio libenter concedo, ita hoc loco ferri posse nego. Nam etiam atque etiam totam enunciationem perlegenti mihi ad rectam sententiam efficiendam adjectivum illud tam necessarium visum est, ut omnem de addendo eo dubitationem missam facerem et totum locum sic scriberem: „Quo anno et Octavi praetoris navalis et Anici regem Illyriorum Gentium ante currum agentis terrestris triumphi fuere celebres.“

Quae conjectura eis non refutatur, quae Alstersius monet l. l. cum ex Appian. de rel. Illyr. c. IX p. 72 (ed. Schweigh.) ubi haec sunt: *Ἀνίκιος δὲ Ῥωμαίων στρατηγὸς λέμβους τε τοῦ Γενθίου τινὰς εἷλεν ἐπιπλεύσας καὶ κατὰ γῆν αὐτῷ συνεκχθεὶς ἐκράτει τὴν μάχην καὶ συνέκλεισεν ἔς τι χωρίον·* navalem quoque triumphum ab Anicio reportatum esse conjicit. Nam propter nonnullas tantum naves captas mersasve Romanos nulli duci triumphum decrevisse constat: si vero ad litterarum similitudinem respexeris, eo valde commendatur, quod cum syllaba „ter“ teste Wattenbachio l. l. p. 28 sola „t“ littera cum superscripta lineola expressa sit vocabulum „terrestris“ ita scriptum erat „trestris,“ quod cum eisdem fere apicibus constet atque vocis „agentis“ syllaba ultima „tis“ et vocis „triumphi“ prima syllaba „tri“ facile a librario omitti potuit.

Alter locus est:

II, 26, 3.

„Non perdat nobilissimi facti gloriam Calpurnia Bestiae filia, uxor Antisti, quae jugulato, ut praediximus viro gladio se ipsam transfixit. Quantum hujus gloriae famaeque accessit! Nunc virtute eminet, patria latet!“

Dum Sulla qui confecto bello Mithridatico anno a. u. DCLXXI in Italiam reversus erat per duos annos Marianos exercitus multis gravibusque proeliis funderet ac fugaret, adversarii ejus utpote qui de salute desperavissent, Romae in omnes quos partibus ejus favere putarent summa crudelitate saeviebant. In quibus cum alios tum Antistium aedilicium fuisse Vellejus narrat, qui Damasippi praetoris jussu in curia Hostilia trucidatus fuerit. De cujus morte Calpurnia uxor certior facta, cum gladio se ipsa interemisset, Vellejus temporis sui morem secutus virtutem ejus quam maxime praedicandam esse dixit.

Quamquam igitur de hujus loci universa sententia dubium esse non potest, attamen, ut praestantiorem Amerbachii lectionem qui pro „se ipsam“ praebet „se ipsa“ id quod Kritzius non solum latino Vellejanoque loquendi usui, sed etiam sententiae unice convenire ostendit, verbo tantum commemorem, toto enunciato „Nunc virtute eminet patria latet“ quid scriptor dicere voluerit, tam difficile ad conjiciendum nedum ad dijudicandum est, ut de emendandis his verbis haud pauci velut Ruhnkenius, Jacobsius, Krausius, Haasius prorsus desperarent. Ille enim „facilius est ‚inquit‘ aliorum de hoc loco conjecturas convellere, quam quid Vellejus scripserit, ingenio reperire. Mihi quidem nil, quod satis placeat, in mentem venit.“

Jacobsius vero in versionis Germanicae p. 90 haec verba omisit et Haasius Krausiusque aut post „eminet“ et „latet“ aut post „virtute“ et „patria“ lacunarum signa ascribere satis habuerunt.

Si vero in conjecturarum ingentem numerum accuratius inquisiveris, duplicem interpretandi rationem viros doctos amplexos esse facile animadverteris. Priores enim interpretes ad unum omnes hoc enunciatum de Calpurnia dictum esse volunt cujus virtutem Vellejus Calpurnii Bestiae patris ignominiae opposuerit, quippe quem in verbis quae antecesserint, non sine causa commemoraverit. Hunc enim ut inter omnes constet, in bello Jugurthino anno a. u. DCXLIII regis pecunia corruptum pacem ei Romano nomini flagitiosam senatus injussu concessisse eamque ob causam anno DCXLIV in exsilium missum esse. Quod factum etiamsi a Vellejo neque hoc neque in ejusdem libri capite XI commemoratum sit, ubi de bello Jugurthino egerit, ita tamen inter omnes notum fuisse, ut quid scriptor in mente haberet, unus quisque aequalium statim intelligeret.

Illam igitur sententiam, qua propter filiae publicum favorem, quem gloriosa morte sibi pepererit ignominiosum patris facinus oblivioni traditum sit vel similem hae conjecturae praebent:

Pontani: Anall. I, 3. Quantum hujus accessit! Nunc virtute eminet per patriam late.

Cortii: in Annal. Erud. Lips. a. 1721 p. 118. Quanta tum hujus gloria famaque! At nunc virtus foeminae ingloria latet.

Gruneri: Quantum — tum accessit! Nunc eminet, patria latet.

Huthii: Quaest. crit. p. 13: „Quantum hujus gloriae familiae quoque accessit, nunc virtute feminea pariter latet.“

Cludii: Quantum accessit! Nunc eminet, patria latet.

Herelii: Adnott. critt. quae Krausii editioni majori adjectae sunt p. 563: Quantum — famaeque cessit, nunc feminae pater latens:

Acidalii: Quantum — accessit! Sua virtute eminet, patria latet.

Heinsii: Quanta hujus gloriae famaeque accessio! Nunc sua (vel „sua et viri“) virtute eminet patria latet.

Burmanni: Quantum — accessit! Nunc virtute eminet patre latente.

Schefferi: Misc. Obss. VIII, p. 437: Quantum — accessit tum virtuti, minuit patria labes.

Censoris in Bibl. Germ. univ. Berol. Vol. XLVIII p. 437: „Sua (vel „nunc sua“) virtute eminet patria latet.“

Luxdorphii in Jahn. Nov. Ann. Suppl. I, 2 p. 168: Quantum tum — accessit nunc virtute! Eminet, patria latet.

Halmii: Annal. crit. Berol. a. 1836 T. I. p. 332: Qui cum jam Orellius recte monuisset „patria“ pro „paterna“ dictum Vellejanae consuetudini repugnare id quod his exemplis demonstrari potest: I, 10, 3: paterna majestas; I, 12, 3: paternis virtutibus simillimus II, 77, 1: paterna domus I, 6, 5: paternum genus; II, 119, 3: paternum exemplum; sed ubi de patria agitur: I, 4, 2: „patrii ritus custodia“ scripsit: „Quantum — accessit. Sua nunc virtute eminet, patris latet.“

Eug. Wilhelmus: conjecit l. l. p. 20—21: Quantum — accessit Nunc virtute eminet, paterna latent.

Quibus adjicere liceat conjecturam a me ipso factam, quam etiamsi nunc improbo, his tamen omnibus, quas dixi, propter sententiae facilitatem praefero: „Quo quantum huic gloriae famaeque accessit! Nam sua virtute minuit patris labem.“

Contraria sententia est eorum, qui Orellium secuti haec verba non de Calpurnia sed de Antistio dicta esse putant, quia, Calpurnia uxor ejus nisi tam fortiter mortem sibi conscivisset „non magis illustris fuisset quam quaevis alia matrona Romana historicis non memorata“ Antistius autem utpote aedilicius aliquam gloriam famamque utique habuerit.

Sed quamquam omnino cum Orellio facio, vereor tamen ne haec argutius quam verius disputata sint. Primo enim Antistio quoque, homini ceteroquin ignoto nulla alia de causa nisi quia aedilis fuerit, gloriam famamque attribui posse nego. Deinde tota haec Orellii ratiocinatio concidit si quis, id quod ipse facio, „huic“ pro „hujus“ conjecerit.

Quae cum ita sint, aliae causae circumspiciendae sunt, quibus illorum conjecturas refutemus. Et prior quidem ni fallor in hoc posita est, quod cum pronomen „hic“ semper ad eas personas referendum sit, quae proxime antecesserunt, verba „Quantum hujus gloriae famaeque accessit“ et quae sequuntur ad Antistium pertinent: altera autem eaque gravior cernitur in hujus loci sententia. Cum enim jam eis quae antecedunt debitam Calpurniae laudem scriptor habuerit, non solum intellectu difficillimum esset, cur eadem sententia repetatur, sed etiam tota oratio tam mirifice langueret, ut Vellejum ita locutum esse negem. Sed contra res se habet, si haec de Antistio et ita quidem dicta accipimus, ut uxoris nobili leto mariti quoque virtutem conspicuam factam esse statuamus.

Orellius igitur hanc conjecturam exhibet: „Quo quantum hujus gloriae famaeque accessit. Aliena nunc virtute eminet, propria latet.“

Laurentius quocum Kritzius facit, scribi jubet: Quantum hujus — accessit! Nunc virtute feminae eminet, propria latet.

Mommsenius apud Haasium Praef. ed. II, p. IX hoc praebet: „In quantum hujus gloriae famaeque accessit, nunc vir ille eminet, praeterea latet.“

Sed tantum abest, ut sententia illa Vellejo dignissima, quam supra significavi, his effecta sit, ut eam magis perversam esse cum Hauptio putem l. l. p. 198.

Nam si in Orellii, Laurentii, Mommseni scripturas accuratius inquisiveris Antistium detrectatum potius quam laudatum esse animadverteris. Quare unus Hauptius hujus loci indolem perspexit et rectam sententiam assecutus est l. l. p. 199 hac scriptura: „Quantum hujus gloriae famaeque accessit! Nunc virtute feminae propria patet!“

Quam conjecturam etsi omnino probo, in singulis tamen verbis ita muto, ut primum, quo aptius tota haec enunciatio cum ea quae proxime antecedat, cohaereat, „Quo quantum“ cum Orellio scribam, deinde cum ne Antistium quidem gloriam famamque habuisse supra monuerim pro „hujus“ legam „huic,“ denique pro „virtute feminae“ uxoris vocabulo inserto scribam „uxoris virtute animi“ et totum locum sic corrigam: „Quo quantum huic gloriae famaeque accessit! Nunc uxoris virtute animi propria patet!“

Nam in hac una re ab Hauptio dissentio, quod multo gravius documentum, quo Antistii virtus illustretur in eo cerni puto, quod non solum omnino femina aliqua superstes ejus esse noluit, sed quod haec femina uxor ejus erat.

II, 29, 5.

„Fuit hic (i. e. Pompejus) genitus matre Lucilia, stirpis senatoriae, forma excellens, non ea, qua flos commendatur aetatis, sed ex dignitate constantiaque in illam conveniens amplitudinem fortunamque ejus ad ultimum vitae comitata est diem.“

Sic praeter levem editionis principis discrepantiam, quae „ultimam“ habet, haec apud Rhenanum Burerium Amerbachiumque leguntur. Sed quis est, quin hanc lectionem plus uno nomine corruptam esse statim concedat? Primum enim verbis „forma fuit excellens, non ea qua flos commendatur aetatis“ enunciatum aliquod requiri manifestum est, quod his opponatur; deinde post „dignitate constantiaque“ pronomen relativum „quae“ excidit; tum pronomen ejus post vocem amplitudinem collocatum loco tam molestum est, ut ferri nequeat; denique comitandi verbum non habet, quo referatur.

Quae vitia fere omnia sagaciter, ut solitus est, Lipsius sustulit; nam ceterorum conjecturas utpote inanes et jam a Kritzio collectas hic retractare non opus est et ne novissimi quidem competitores palmae nobilis Bernaysius et Mommsenius quicquam profecerunt. Ille enim apud Haasium Praef. ed. II, p. IX conjecit „sed ex dignitate constans atque in illam conveniens amplitudinem fortunae, quae eum —“ hic autem sic scripsit: „sed ex dignitate; constantia ea quae in illam conveniens amplitudinem fortunam ejus ad ultimum comitata est diem:“ quae prae Lipsiana conjectura misere languere vel per transennam videre licet:

scribit enim hic: „Fuit hic forma excellens non ea, qua flos commendatur aetatis, sed ex dignitate constanti, quae in illam conveniens amplitudinem fortunamque eum ad ultimum vitae comitata est diem.“

Sed sic quoque vitiosi quid restat. Etsi enim Kritzius pronomen „ejus,“ quod post vocem „amplitudinem“ legebatur supervacuaneum dicit, non tamen id omissum aegre ferre non possum, utpote non ad sententiam ipsam quidem, sed ad orationis perspicuitatem servandam aptissimum.

Quam ob causam id inter voces „conveniens“ et „amplitudinem“ inserere non dubito; nam propter apicum similitudinem, quae inter vocis „conveniens“ syllabam ultimam et pronomen „ejus“ intercedit, id facillime excidere potuisse nemo non videt.

Tertium vitiorum genus est glossematum, quo rarius quidem, quam vocabulorum depravationibus et lacunis Vellei libros inquinatos esse concedo; sed nonnullos locos hac ratione corruptelam traxisse ex his exemplis colligere licet, quorum numerus facile augeri potest:

II, 10, 1. „At nunc, si quis tanti habitet, vix ut senator agnoscitur; adeo mature a rectis in vitia, a vitiis in prava, a pravis in praecipitia pervenitur.“ Ibi primus Ruhnkenius vidit assentientibus Wyttenbachio in Bibl. crit. Vol. I, 4, p. 56, Censore in Bibl. Germ. univ. Vol. XLVIII p. 534, Haasio in Ephemm. litt. Hall. a. 1836 No. 56 p. 442, Kritzio in Zimmermanni Annal. studd. antiq. a. 1837 No. 15. p. 131 verba „in vitia a vitiis“ glossema esse sequentium, id quod ut Haasius recte judicat, Amerbachii lectione verisimillimum fit, quae est: „in vitia vitiis.“

II, 27, 6: Felicitatem diei quo Samnitium Telesinique pulsus est exercitus, Sulla perpetua ludorum Circensium honoravit memoria qui sub ejus nomine Sullanae Victoriae celebrantur? Ubi, cum ludos illos „Victoriae“ non „Sullanae Victoriae“ nominatos esse ex Cic. in Verr. Act. I. 10, 31 et ex vetere calendario apud Orellium Inscrr. Lat. Vol. II, p. 400 appareat bene Kritzius vocem „Sullanae“ tamquam manifestum glossema ejecit.[1])

1) De aliis locis eodem modo corruptis egerunt Ricc. Frankius Philol. T. XI. Mart. Hertzius: Mus. Rhenan. a. 1843 p. 477. Frid. Haasius Ephemm. litt. Hall. a. 1836 p. 442.

Simili autem modo duos alios Vellei locos corruptos esse statuerim quorum prior est:

I, 16, 3.

Rebus populi Romani usque ad Carthaginem deletam gestis libro priore narratis scriptor, antequam posteriorem incipiat, capitibus quarto et quinto decimo quae quoque tempore post Romam a Gallis captam jussu senatus coloniae deductae fuerint, refert; ultimis autem tribus capitibus ad rem, quae per se quidem magni momenti, sed hoc loco ἀπροσδιόνυσος est, tractandam transit: quaerit enim, qui factum sit, ut „eminentissima cujusque professionis ingenia" velut poetae, rerum scriptores, oratores, philosophi, alii quamvis et indole et operibus discreparent, semper tamen eodem fere tempore florerent.

Qua in re a tragicis Graecorum poetis ad comicos transit his verbis:

„Una neque multorum annorum spatio divis a aetas per divini spiritus viros Aeschylum, Sophoclem, Euripidem illustravit tragoediam, una priscam illam et veterem sub Cratino, Aristophane et Eupolide comoediam; ac novam comicam Menandrus aequalesque ejus aetatis magis quam operis Philemo ac Diphilus et invenere neque imitanda reliquere."

In quibus cum vocem „comicam" stare non posse viri docti fere omnes persuasum haberent, Acidalius, quem Lipsius, Ruhnkenius, Haasiusque secuti sunt, probante olim Kritzio in Annall. studd. antiq. a. 1837 p. 98 ejecit eam, alii autem corrigere studebant.

In quibus Heinsius, quem Krausius sequitur conjecit „nova comica" i. e. opera, vel carmina; quod quamquam Krausius exemplo ex Plinio petito tueri conatur, quod est Ep. III, 1, 7: „scribit enim et quidem utraque lingua lyrica, quae non lectorem et lyram poscunt (i. e. debere recitari concedant); prorsus rejiciendum est. Nam ut de misera ejusdem notionis quae in vocibus „comoedia" et „comica" inest, uno tantum vocabulo interposito, repetitione taceam, scriptor non de novis operibus vel carminibus tantum, sed omnino de nova arte comica vel genere agit. Ob eandem causam Orellii quoque conjectura cadit „nova mimica" praebentis.

Grunerus scripsit „novam comoediam," quod Kritzius in editionis contextum recepit. Sed quam molesta est haec vocis „comoedia" repetitio. Qui fieri potuit, ut vel ineptissimus librarius, si codex „comoediam"

habebat, quod, si nihil aliud, sententiam tamen rectam praebet, „comicam“ legeret, quod prorsus ineptum est?

Cludius insano aestu ablatus quatuor conjecturas proposuit, quae omnes ita a fide externa et interna recedunt, ut quae pessima sit, dijudicare nequeas. Scribit enim aut: „novam comem magis“ aut „novam comem et catam“ aut „novam comitate catam“ aut „novam comitate conditam.“

Omnium autem infelicissime in hac voce corrigenda versatus est Martinus l. l. p. 9—10, qui praebet „novam tomicem“ i. e. filum orationis. Nam praeterquam quod vox „tomix“ (vel thomix, thomex, tomex cf. Fest. ed. Mueller p. 356) per se rarior est, translata autem significatione nusquam invenitur, Vellejum de sermone tantum novae comoediae cogitavisse vix credibile est.

Aliam Kochius l. l. p. 7—8 corruptelae hujus sanandae rationem secutus est; post novam enim vocem „vim“ excidisse putat; sed quid sit „invenire vim comicam“ non liquet; nam ne hoc quidem probari potest locutionem quae est „vis comica“ apud Romanos usitatam fuisse, cum Caesaris illi de Terentio versus, quos Kochius affert, id quod et ipsi notum fuit, in Suetonii vita Terentii sic legantur:

lenibus atque utinam scriptis adjuncta foret vis,
comica ut aequato virtus polleret honore
cum Graecis neque in hac despectus parte jaceres

ubi veram interpunctionem a Bentlejo Wolfioque restitutam vetere Donati codice Parisino quoque servatam esse Ritschelius monuit in Comment. in Vitam Terentii quae apud Reiferscheidum est in Suetoni Tranquilli reliquiis p. 526.

Equidem vocem „comicam“ a librario explicationis causa superscriptam mox in contextum irrepsisse et vocem „artem“ loco deturbasse putaverim, sed ne hanc conjecturam omnibus numeris perfectam habeam, id me movet, quod in Acidalii scriptura paulo clarius prisca illa et vetus comoedia et nova sibi respondent et quod haec a fide externa eadem fere ratione atque mea commendatur. Facile enim fieri potuit, ut prior librarius, ut vocem „novam“ explicaret, superscriberet „artem comicam“ quae posterior pro Vellejanis habita in contextum recepit, sed ita, ut syllabarum „am“ in „novam“ et „ar“ in „artem“ similitudine deceptus vocem „artem“ omitteret et ex vetere glossemate illo nil nisi „comicam“ servaret.

Ante vocem „magis“ „non“ particulam inserendam esse acutissime docuit Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836 No. 55 p. 440. Nam Vellejus hoc loco non id agit, ut de comoediarum a Menandro, Philemone Diphiloque compositarum praestantia judicium ferat, sed tota ejus disputatio eo nititur, tragicos pariter atque comicos non solum eodem tempore floruisse, sed etiam idem poesis genus coluisse. Quod autem Martinus l. l. dicit ne addita quidem particula „non“ eam sententiam parari quae sit vocum „et — et,“ errat.

Saepius enim locutionem „non magis quam“ ab „et — et“ particularum usu discerni non posse ex his locis apparet, quibus si opus esset, multos adjicere possem:

Vell. II, 47, 5: Milonem reum non magis invidia facti quam Pompei damnavit voluntas.

Sall. cat. IX, 1 jus bonumque apud eos non legibus magis quam natura valebat.

Nec minus Haasii conjectura, in eis quae sequuntur Acidalii placet, qui „non imitanda“ in „non imitandam“ mutavit id quod et sententia ipsa et orationis concinnitas requirit.

Quod vero Warburtonus „emendandam“ et Burmannus „immutandam“ scripserunt, ambo, si „non imitandam“ idem valere recordati essent atque „non imitabilem“ hoc negotio commode supersedere poterant.

Alter locus est:

II, 11, 2.

„Metelli tamen et triumphus fuit clarissimus et meritum virtutique cognomen Numidici indictum.“

Sic editio princeps Bureriusque; Amerbachius vero „et meritum et virtutique.“

Multa fuerunt profecto, quae de corrigendis vocibus „virtutique“ ab Aldo Nepote usque ad eum, qui novissime hunc locum tractavit, Martinum l. l. p. 5 — 6 sub finem Notae quintae decimae ab interpretibus prolata et a Kritzio collecta sunt, sed vix dixeris multum.

Alii enim scripserunt „et meritum virtute ei“ alii „et meritum ei virtute“ alii „et meritum virtuti“ alii „et meritum ei virtute utique“ alii „emeritumque ei virtute“ alii „et meritum virtuti quoque“ alii „et meritum ex virtute ei“ alii „et meritum ei virtutique debitum“ alii similia.

sed omnes perperam, quippe qui, praeter singula vitia quibus unaquaque fere conjectura laborat velut pronominis „ei“ molestam collocationem hoc commiserint, ut scriptoris loquendi usum parum curarent. Vellejus enim in locutione quae est „indere alicui cognomen aliquod“ si causam commemorat, quaquis hoc merucrit nil addit nisi „ex“ praepositionem velut I, 11, 2: Metellus praetor, cui ex virtute Macedonici nomen inditum. II, 10, 2: Fabio, Paulli nepoti ex victoria cognomen Allobrogico inditum; nusquam autem inveneris: „indere alicui cognomen virtute vel ex virtute meritum“ et recte quidem, cum sic molestissima evaderet tautologia, quam vocant.

Ergone hoc loco voce „meritum“ ejecta scribendum putas: et ex virtute ei cognomen Numidici inditum? Minime! Nam sic intelligi non posset, quomodo illud „meritum“ ortum esset. Immo vero „meritum“ in codice stetit et voces „ex virtute“ quae in Amerbachii lectione latent, librario debemus, qui ex locorum similium memoria eas superscripsit. Totus locus igitur sic legendus est: „Metelli tamen et triumphus fuit clarissimus et meritum ei cognomen Numidici inditum.“

Similiter autem Vellejum saepius locutum esse hi loci clamant:

II, 5, 1: qui — aditis quae vix audita erant, Gallaeci cognomen meruit.

II, 15, 3: Q. Metellus Numidici filius, qui meritum cognomen Pii consecutus erat.

Jam restat, ut de duobus Taciti locis agam, quorum prior est: Annal. XII, 29.

„Per idem tempus Vannius, Suebis a Druso Caesare impositus pellitur regno, prima imperii aetate clarus acceptusque popularibus, mox diuturnitate in superbiam mutans et odio accolarum, simul domesticis discordiis circumventus.“

Quae verba quamquam a nullo adhuc in dubium vocata sunt, attamen ne integra habeam, locutione „clarus acceptusque popularibus“ moveor.

In usum enim adjectivi „acceptus“ inquirens id mihi reperisse visus sum hoc a Romanis cum ejus modi tantum adjectivis conjunctum esse quibus una tamquam ex eis notio evaderet, velut nostrum: „lieb und werth.“

Sic „carus acceptusque“ legitur apud Livium XXXV, 15: quo carior acceptiorque omnibus erat. apud

Sall. Jug. XII, 3: qui proximus lictor Jugurthae carus acceptusque ei semper fuerat.

Sall. Jug. LXX, 2: socium sibi adjunxit Nabdalsam — carum acceptumque popularibus suis[1]).

Sall. Jug. CVIII, 1: praeterea Dabar Mauro ob ingeni multa bona carus acceptusque.

Sic „gratus acceptusque“ apud:

Cic. Tusc. V, 15, 45. „Etenim quidquid est quod bonum sit, id expetendum est: quod autem expetendum id certe approbandum: quod vero approbaris id gratum acceptumque habendum.“

Catull. 96, 1: si quicquam mutis gratum acceptumve sepulcris accidere a nostro Calve dolore potes.

Suet. Gr. 21: cui cum se gratum et acceptum in modum amici videret —

Nep. Hannib. VII, 3: His ex senatus consulto responsum est, munus eorum gratum acceptumque esse.

Plaut. Stich. I, 1, 49: Nam pol mihi grata acceptaque hujus est memoria.

Plaut. Trucul. III, 7, 56: Dona accepta et grata habeo; tuaque ingrata quae abste accepi.

Sic „acceptior probatiorque“ apud:

Macrob. Saturn. III, 9: nostraque vobis loca, templa, sacra, urbs acceptior probatiorque sit.

Sed objecerit mihi quispiam apud Salustium quoque legi „fidus acceptusque:“

Jug. LXXI, 3: „Erat ei Numida quidam negotiorum curator fidus acceptusque.“

Quod quamquam concedo primo obtutu eis quae antea dixi repugnare videri, nihil tamen, nisi adjectivi „acceptus“ cum aliis conjuncti usum paulo latius patere probat. Locutio enim „fidus acceptusque“ quamquam non eandem sententiam praebet atque „carus, vel gratus

1) In codicibus quidem „clarus“ legitur, sed „carus“ unice verum esse jam Colerus vidit, cujus conjecturam Dietschius, Jacobus, Jordanus, Kritzius jure suo receperunt.

acceptusque" simillimam tamen habet ut nostrum „treu und werth" paulo discrepat a formula „lieb und werth." Haec autem quantum distet ab ea, quae in verbis „clarus acceptusque" inest, nemo non videt: quam donec ejusdem vel similis locutionis exempla afferantur non solum a Taciti sed etiam a Romanorum loquendi usu abhorrere contendo et hoc loco pro „clarus acceptusque" mutatione facta lenissima scribo: „carus acceptusque popularibus."[1]).

Alter locus est:
Histor. II, 4.

„Tres, ut supra memoravimus ipsi Vespasiano legiones erant exercitae bello: quattuor Mucianus obtinebat in pace, sed aemulatio et proximi exercitus gloria depulerat segnitiam quantumque illis roboris discrimina et labor, tantum his vigoris addiderat integra quies et inexperti belli labor.

Cum praeter eos qui editionem in usum Delphini paraverant et pro „inexperti" „inexpertus" scripserant, omnes viri docti alterum illud labor stare non posse jure persuasum haberent, alii id ejecerunt, alii corrigere conati sunt.

Priorum igitur in numero sunt Lipsius, qui scripsit „et inexpertis belli" et Nipperdejus, qui hoc amplexus „belli" in „bellum" mutavit. Ita igitur si scribimus totius loci sententia haec est: Muciani quattuor legiones non solum dum Vespasiani adversus Judaeos pugnarent in otio ac quiete vixisse, sed omnino nullum bellum gessisse.

Quae cum revera Tacito dignissima sit, sola tantum exigua externae fidei probabilitate impedior, ne his viris astipuler.

Hanc melius quidem servarunt Rhenanus, Orellius, Jacobus qui con-

---

1) Haec jam scripseram, cum Ludov. Langius, vir clarissimus, Draegero et Nipperdejo testibus hanc conjecturam jam a Woelfflinio factam esse me monuit quorum editiones, cum subseciva tantum opera Tacitum tractarem, non inspexeram. Woelfflinii igitur verba haec sunt Philol. XXVII p. 128: „In Verlegenheit befinden sich die Erklärer Annal. XII, 29 — und Sall. Jug. 70, 2 —. Denn an beiden Stellen ist clarus überliefert, aber weder die Berühmtheit des Vannius in Beziehung zu der nachher erwähnten superbia und dem odium noch die Ueberlieferung bei Sallust in Einklang mit dem Sprachgebrauche des Historikers, welcher Jug. 12, 3; 108, 1 carus acceptusque Jug. 7, 1, acceptum popularibus gesagt hat. Daher haben Kritz, Dietsch, Jordan und Jacob in der neuesten Auflage gegen Gerlach die Conjectur von Colerus „carus" aufgenommen, was nun freilich auch die gleiche Aenderung bei Tacitus nach sich ziehen sollte, weil die Beziehung der beiden Stellen durch den Zusatz popularibus ausser Zweifel steht —."

jecerunt: ardor, amor, favor. Sed hae conjecturae si Rhenani exceperis parum aptam sententiam praebent, illud autem „ardor“ eo laborat, quod haec vox nunquam a solutae orationis scriptoribus sed a poetis tantum cum genetivo illo, quem objecti vocant, conjuncta usurpatur, velut apud: Hor. Epod. XI, 27:

Sed alius ardor aut puellae candidae
Aut teretis pueri longam renodantis comam.

Ov. Metamorph. IX, 101:

At te Nesse ferox ejusdem virginis ardor
Perdiderat —

Ibid. 140.

Gaudet —
Amphitryoniaden Joles ardore teneri.

Quam ob causam cum etiam „calor“ in quod fortasse quispiam inciderit probari non possit, scribendum puto: „et inexperti belli dolor.“ Quod vocabulum et sententiam praebet aptissimam et saepissime apud solutae orationis scriptores ita usurpatur, ut res, qua quis doleat, genetivo ponatur. Qui usus cum ex aliis tum ex his exemplis apparet, quae suppeditasse satis habeo:

Caes. Bell. Civ. I, 4: Catonem veteres inimicitiae Caesaris incitant et dolor repulsae.

Liv. I, 40: Sed et injuriae dolor in Tarquinium ipsum magis, quam in Servium eos stimulabat.

Suet. Vespas. VIII: Milites pars victoriae fiducia, pars ignominiae dolore ad omnem licentiam audaciamque processerant.

Justin. I, 8, 9: Amisso tanto exercitu et quod gravius dolendum, unico filio Tamyris orbitatis dolorem non in lacrimas effudit, sed in ultionis solatia intendit.

Hermannus Adolphus Arthurius Berndt natus sum Dippoldiswaldae, in Saxoniae oppido, a. d. V. Kal. Nov. anni MDCCCXLV patre Theodoro Ottone, matre e gente Kobligkiana, parentibus optimis, quibus superstitibus vehementer laetor. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum primis elementis imbutus, annos XV. natus gymnasii Altenburgensis discipulis adscriptus sum; unde examinis maturitatis superandi causa Zwiccaviam me contuli.

Inde in academiam dimissus anno MDCCCLXVI Lipsiam petii studiis philologicis operam navaturus ibique usque ad annum MDCCCLXXI scholas Ritschelii, Curtii, Klotzii, Zarnckii, Overbeckii, Voigtii, Wuttkii, Ahrensii, Drobischii, Roscheri frequentavi et per annum et sex menses seminarii regii, philologici sodalis fui, per duos annos et sex menses Ritschelii societati philologicae et Wuttkii seminario historico, per unum annum Curtii societati grammaticae interfui: quibus viris omnibus gratiam quam maximam habeo semperque habebo.

Anno post examen pro munere praeceptoris publici peregi.

10 1874

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 060 647 4

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 060 647 4